

F. K
119.
15.

JUBILÆUM SVECICUM,

QVOD

SERENISSIMUS, ATQVE POTENTISSIMUS,
INVICTISSIMUSQVE

PRINCEPS,

CAROLUS XI.

SVECORUM, GOTHORUM
ET VANDALORUM REX, MAGNUS

PRINCEPS FINLANDIÆ, DUX SCANIÆ, ESTHO-
NIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI,
POMERANIÆ, CASSUBIÆ, ET VANDALIÆ,

PRINCEPS RUGIÆ, DOMINUS INGRIÆ, ET VISMARIÆ, NEC
NON COMES PALATINUS RHENI, BAVARIÆ, JU-
LIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM DUX,

ETC. ETC. ETC.

IN FELICEM MEMORIAM

RELIGIONIS LUTHERANÆ,

CONCILIO UPSALIENSI

ELAPSO HINC SECULO STABILITÆ,

IN OMNIBUS REGIONIBUS ET PROVINCIIIS

SUIS FESTO ET RELIGIOSO TRIPUDIO

PEREGIT;

ÆMULA QVADAM LÆTITIA

ET GRATO IN REGEM CLEMENTISSIMUM

ANIMO ITERARE,

IPSOQVE DIE

REFORMATIONI LUTHERI

SACRO,

VOTIS, PLAUSIBUSQVE PROSEQVI

VOLUIT

ACADEMIA WITTENBERGENSIS,

INTERPRETE

JOANNE GEORGIO NEUMANNNO,

SS. TH. D. PROF. PUBL. EJUSDEMQUE FAC.

h. t. DECANO, ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORO, ET

ACADEMIÆ BIBLIOTHECARIO.

WITTENBERGÆ,

Apud JOHANNEM CHRISTOPH. Föllginer,

STANNO KREUSIGIANO,

506
II n
6777

X 1903742



JUBILEUM SYVECIUM

1700

INSTITUTIONES

INSTITUTIONES

PRINCIPES

CAROLUS

SVETGORUM

ET VANDALORUM REX MAJUS

PRINCIPES

NIE, CAROLUS, CASSELLA, ET VANDALIA

POMERANIA, CASSELLA, ET VANDALIA

FRANCIS RUGIA, DOMINUS

NON COMES PALATINUS, BAVARIA

INSTITUTIONES

RELIGIONIS

IN OMNIBUS REGIONIBUS ET PROVINCIIS

IN OMNIBUS REGIONIBUS ET PROVINCIIS

IN OMNIBUS REGIONIBUS ET PROVINCIIS

ET GRATO IN REGEM

ACADEMIA

REFORMATIONIS

OMNIS

ACADEMIA WITTEBERGENSIS

ACADEMIA WITTEBERGENSIS

IOHANNES GEORGIO NEUMANN

SS. TH. D. PROF. PUBL. PRAESIDENTI

ACADEMIAE BIBLIOTHECAE

ACADEMIAE BIBLIOTHECAE

WITTEBERGA
Apud JOHANNEM CHRISTOPH. GOLLNER
STANNO KRISTIANO





CAROLO

XI.

REGI SVECORUM

INCOMPARABILI,

HEROI

TOGA SAGOQVE MAXIMO,

DEFENSORI ET VINDICI

RELIGIONIS GLORIO-

SISSIMO,

ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS

ET

OMNIS HUMANITATIS

PATRONO

CLEMENTISSIMO

SACRUM!

QUIPPE QUI
INSIGNEM ET INAUDITAM HANC FE-
LICITATEM ADEPTUS EST,

UT PRIMUS IN GENTE SUA

JUBILÆUM LUTHE- RANUM

INDICERET,
ET PLACIDISSIMA REGNI TEMPESTATE,
VERA ECCLESIAE HALCYONIA
CELEBRARET.

UT PROINDE
INCONCUSO REGUM STEMMATE
AD ULTIMOS USQUE NEPOTES HÆC SACRA
TRANSMITTAT,

ET DIU SUPERSTES
ECCLESIAM DEFENDAT,
REPUBLICAM SERVET,
AMBUSTASQUE ET FUMANTES GERMANIAE PAR-
TES ERIPAT INCENDIO,
ET MAXIMI ADEO REGIS EXEMPLUM,
AC HUMANI GENERIS MIRACULUM
ABSOLVAT,

FAUSTIS OMNIUM ACCLAMATIONIBUS
PRECATUR
GLORIAE ET MAJESTATI REGIAE
DEVOTISSIMUS,

JO. GEORG. NEUMANNUS, D.

*Oratio Solennis, Jo. Georgii Neumannii
cujus Titulus per errorem compactoris
ante Orationem Paueg. Neubergeri
collocatus est.*



RECTOR
ACADEMIÆ MAGNIFICE,
PER ILLUSTRÉS, ac GENEROSISSIMI
LIBERI BARONES,
PATRES CONSCRIPTI,
HOSPITES MUNERUM, ET HONORUM
DIGNITATE SPLENDIDISSIMI,
TUQUE RENASCENTIS ECCLESIE, ET REIPUBLICÆ
LÆTISSIMA SPES, FLORENTISSIMAQUE VERNANTIS
JUVENTUTIS CORONA.



Vi felicia nobis secula
promittunt, coetumque creden-
tium, quem Ecclesiam appellare so-
lemus, potiundæ in his terris perpe-
tuæ quietis spe lætant, & erigunt: multa quidem
rerum futurarum dulcedine perfundunt suos, &
phaleratis nonnunquam dictis pelliciuntque & tra-
hunt; at, si omnia æqviori librentur animo, opi-
nionem ac umbram illi, non ipsam veritatem sectan-
tur. Posteaquam enim ultimi Parentes nostri

A

præ-

præcipiti illo, miserabilique casu in summum se exitium coniecerant, sibi que, ac posteris tristissimam intulerant cladem: non tantum blandissimo DEI congressu, & splendidis, quibus ante diffluebant, delitiis privati sunt, sed beata quoque sede, ac requie penitus exclusi, adeo ut solum illico vertere, mutare locum ac sedem, vitamque vagam, ac inopem ducere ineluctabili quadam vi cogerentur. Si ulla unquam felicitatis spes affulsit Ecclesiæ, Noachi tempora commemoranda nobis sunt, quibus ab unius familiæ regimine Ecclesia pendebat. Jam detumescente pelago, & aquis in flumina redactis, suæ terræ facies reddebatur, jam faustissimum pacis signum advehebat volucris, ipseque DEUS, posito in aëre arcu, ceu foedere, se obstringebat, de mundo non amplius tanta eluvie obruendo; divisio denique inter tam paucos terrarum orbe, sat frugum cuique, & telluris suppetebat, nec ullæ de finibus oriebantur lites. Verum nec ille coetus, quantumvis exiguus, vacabat a culpa, nec apertius flagitium, quam ab hoc patre admittebatur: quieti autem & otio adeo non patebat locus, ut, qui una in æde cohabitaverant conjunctissimi fratres, nunc toto divellerentur orbe, ac Semus quidem Orientem adiret, Chamus cum nepotibus suis in Meridiem concederet, Japhetus Septentrionem occuparet. Adeo Ecclesia a primis velut incunabulis nec quiesce-

quiescere, nec diffluere otio debuit, sed per ignotos
errare campos, suisque ejecta sedibus migrare.

Eqvidem fessa tot malis respirare aliquando, &
quasvis superare difficultates est visa. Jamque ex-
cusso Pharaonis jugo, in Canaanæam usque terram
progredita, dispositis undiquaque præfidiis tutum sibi
firmumque habitaculum fecerat, Deorum velut se-
dem & patriam indepta. At enimvero nec illa per-
quam solida & inconcussa felicitas fuit, quando me-
dios inter hostes agebat vitam, &, sive Ducum, sive
Regum exposceret præsidium, ambiguis subinde
pugnis & præliis vexabatur. Quod enim Romanæ
Reipublicæ rectores censent, segnescere civitatem
otio, nimiaque cessatione plebem lascivire, id per-
æque in civitate sua eventurum prævidit Deus, &
vel ideo incertum minusque stabilem in terris locum
decrevit suis, ut eo studiosius cogitarent cœlestia,
atque ad summum illud, nullisque finiendum seculis
domicilium eniterentur. Ipse Servator noster, ve-
ræ libertatis & quietis vindex, cum afflictissimo
daretur orbi, atque inter homines vitam traduce-
ret, non seculare aliquod instaurare regnum, non
Halcyonia celebrare, aut opes & copias collocare
in foenore; sed bajulare crucem, sed omnia pro de-
relictis habere, tum vero, quos delegerat, testes,
totum peragrarè orbem, vitæque adire discrimina,
&, præsentibus nihili ductis, futura tantum quære-
re jubebat. Nunc,

Nunc, ubi senio suo fatiscit mundus, cur lætiori facie prospicere, & antiquum illum mutare habitum debeat, nihil omnino est, quo adduci & ad credendum persuaderi queamus. Eodem adhuc fato agitur Ecclesia, eademque provolvitur fortuna, ut, licet aliquando faciat inducias, nunquam tamen a migrationibus teras, nunquam vacationem a turbis consequatur. Quæ olim saluberrimo Christi verbo personabant, florentissimæ provinciæ ac urbes, Hierosolyma, Corinthus, Galatia, Ephesus, Colossis, Thessalonica, ipsaque regina urbium Roma: nunc vel cadavera ædium sunt, horridæque belluarum latebræ, vel, si prisco adhuc flore perstant, vanissimo idolorum cultu deturpantur. Itaque quasi ultima nunc experiri cuperet Religio, ad extremum hunc commigravit orbem; & nihil verita sterilitatem agri, nihil averſata ædes & aras, rudi cæmento informibusque tegulis extructas, in hac urbe, in hac literarum sede, pedem fixit, & ex densissimis, quibus obruta jacebat, tenebris feliciter emerſit. Vix autem oborta nobis fuerat illa veritatis lux, cum repente se diffunderet latius, & a duobus abhinc testibus in Septentrionem, atque in amplissimum illud Sveciæ Regnum, velut remis & ventis subvecta exportaretur.

Seculum est, Auditores, imo nunc pridem fuit, ex quo purior Religionis vis eo pervasit, atque in hunc diem extra teli jactum feliciter stetit. Celebrandum igitur Numen, quod non in his tantum

Saxo-

Saxoniae finibus, sed in florentissimis Septentrionis
Regnis salvam huc usque ac intemeratam servavit.
Applaudendum CAROLO est, illi Religionis no-
strae assertori & vindici, quod, cum bellis ardet u-
niversus orbis, ipse nunc Jubilæa celebrat, & in
medio civium suorum complexu, in medio armo-
rum negotio non de Regni tantum, sed ipsius ve-
ritatis hostibus triumphat. Nobis vero vel ideo
gaudendum est, quod sincerus DEI cultus nunc
cardinem Borealem occupat, quo cœlum hoc no-
strum quoque volvitur, qui oculis nostris semper
obversatur, & ad quem, si non navigationis, at vitæ
tamen & doctrinæ cursus dirigitur. Ego tandem,
ut sum lætus omnino atque plane exulto, ita doleo
vicissim, nihil me ad has dicendi partes vel ingenii
vel facundiæ afferre: ne tamen plane mihi ipsi, & pu-
blico gaudio desim, proloquar in his Solennibus, si
non ut rei magnitudo exigit, saltem, ut imbecillitas
virium permittit. Cum vero mirifice me ceperit
argumentum Nummi, quo Regis clementia nos
ita liberaliter tractavit: dicam in præsentia de EC-
CLESIA NOSTRA, JACTATA quidem illa,
sed TUTA TAMEN, nec ulla hostium vi expugna-
ta. Vos autem A. O. cum lætos undique
intueor, & serena in me facie conversos, recreo
me ipsum, ac spero fore, ut, si minus ad tantarum
rerum dignitatem assurgat hic sermo, Vestro tamen

B

suble-

sublevetur favore, plausuque, & fausta omnium gratulatione animetur.

Divina Religio, simul ac vigere inter mortales ac propagari coepit, nihil perinde inimicum noxi-umque habuit, ac Tyrannidem, & Superstitionem; quibus, ceu fluctibus, jactata Ecclesia est, & in ipso nonnunquam portu naufragii discrimine laboravit. Sapientissimum Numen, quantumcumque in mentem humanam potiatur jure, nunquam tamen summa vi cogere illam, vel errantem comprimere penitus, sed liberum, quod indidit, agendi arbitrium, lege tantum circumscribere atque coercere sic voluit, ut, si resiliat forte, & rursus avellatur, institutione divina religari vicissim ac devinciri queat. Ast Principes contra, & qui sancto se nomine efferunt, Pontifices, tantam animis hominum vim afferunt, ut non revocare tantum ac flectere legibus, sed, quod ne DEUS quidem sibi sumit, acerbius cogere, ac barbara quadam crudelitate trahere ad cultum, & immanis supplicii genere torquere non vereantur. Longum foret, Auditores, ex priscis martyrum Annalibus ea repetere, quibus huic rei constare possit fides: nec minus ingratum, ex superiorum temporum memoria promere, quanta in cœtum nostrum severitate, cum Romani Antitistes, tum summi Imperatores, ac Reges efferbuerint. Quin sumpta de medio proferam, & quæ in Sveo-
num

num Regno fata subierit Ecclesia nostra, commemorabo.

LAURENTIUM vobis sisto, atque **OLAUM** Fratres, **PETRI** cognomine nobilitatos: Hi ipsi sunt, qui Academiae nostrae, & nisi me omnia fallunt, huic Lutheri Cathedrae debent, quod ex Papatus tenebris non tantum emerferunt ipsi, sed universam quoque Patriam eripuerunt. Frequens omnino tempore Svecorum ad nos excursus fuit, neque hoc tantum Clarissimum Par, sed longe plures, inclyta hac gente natos, album Academiae nostrae allegat, qui haustis ex Luthero, atque Melanchthone saluberrimis artibus, & sapientiae studiis gnaviter excultis, aucti insuper amplissimis honoribus, ad Penates suos rediere. Quinto igitur anno post coeptum a Luthero praekonium, reversi in Patriam sunt suavissimi Fratres, & quam corruptam adeo intelligebant, colendi Numinis disciplinam, emendare ingressi sunt, felicique & incredibili successu perferunt. Namque **OLAUS** ille Doctissimus Vir, allecto in partes **LAURENTIO ANDREAE**, Regni Cancellario, illud obtinuit mature, ut **GUSTAVUS** Primus, immortalis gloriae Rex, tam salutari- bus doctrinis non tingeretur modo, sed penitus imbueretur. Hic ille est **GUSTAVUS**, cuius, cum nasceretur, caput galea, pectus autem rubra cruce insignitum fuisse memorant, non sine augurio cum
liber.

libertatis, tum veritatis divinæ aliquando recupe-
randæ. Hic ille est gloriosissimus Princeps, qui
arcano quodam DEI arbitrio excitatus, Sacras li-
teras reclusit plebi, & in gentis suæ vernaculam de-
scribi jussit, ipsamque purioris fidei formam in pu-
blicis regni comitiis promulgavit. Non Regii
matrimonii spe commoveri, non deterreri malefe-
riatorum minis potuit, ut de tanto Religionis ar-
dore remitteret quicquam; ingenue subinde pro-
fessus: nolle se regnum, tam foeda superstitione in-
quinatum, Regem potius alium eligerent, suis a-
ptum ingeniis, sibi sufficere, si privatim, vel sine re-
gno, vero Numinis cultui vacare possit. Adeo
fortiter repressit malorum contumaciam, bonorum
vero causam adjuvit, &, quam semel imbiberat
de vera religione sententiam, ultimæ voluntatis te-
stimonio approbavit, filiisque & nepotibus suis ser-
vandam præcepit.

Quæ a bono Principe conduntur, & collocantur
in solido, ea, nisi vestigia legat successor, interjecto
spatio, obsolescunt, sensimque corruunt ac colla-
buntur. Ita sublato e medio GUSTAVO, ad Eri-
cum filium deferebantur fasces, certum quidem
regni, at non perinde virtutum paternarum hære-
dem. Major in JOANNE Erici fratre eluce-
scebat spes, Principe longe optimo, & in avitam
plane gloriam assurrecturo, nisi ab aulæ Romanæ
Gnathonibus, ut ferebat temporum conditio, in
quævis abreptus præcipitia fuisset. Horum enim
effe-

effectum artibus est, ut, ducta in matrimonium Catharina Jagellonica, Sigismundi Pol. Regis Sorore, simul sponderet Joannes, concessurum se deinceps in conjugis Religionem, & si regno potiretur, eandem, quanto posset, studio propagaturum. Rerum proinde gubernaculis admotus, læta quidem initio & auspicata quævis de se promittebat, quin & sacra juramenti formula se obligabat ad antecessorum decreta, nullo unquam modo violanda. Verum muliebribus illectus blanditiis, tum & Romani Pontificis, Galliæque, & Poloniæ Regum precibus stimulatus, & propemodum enectus, tanta exarsit iracundia, ut de extirpandis Aug. Confessionis fociis & pellendis ab urbe Theologis atrocius quicquam statueret. Unus hunc impetum sustinebat Laurentius Petri, Nericius ille, Summus Upsalensium Præsul, Vir, de quo nihil adeo præclare dici potest, quin virtus & animi magnitudo illud superent. Erat hic grandævus senex, atque ultra quadraginta annos de Ecclesia publicaque Re ita meritus, ut cum Pontificiis terrori, tum ipsi quoque Regi venerationi esset; cujus & ultimæ preces fuerant, ne puram adeo salutaremque doctrinam, Rex ullis hæreticorum nebulis obrui pateretur. Sed erepto mortalium rebus hoc tanto Promacho, indulgere sibi Joannes, & quæ clausa tecta que habebat consilia, exequi pro libidine sua contendit.

C

Jam

Jam itaque, de conciliandis partium dissidentium animis laborabat, ad Georgii Cassandri exemplum; jam ad amplectendam Græcorum Religionem se accingebat, quorum censuræ de Augustana Confessione editæ arridebant valde. Tentatis denique omnibus, Liturgiam protrahebat in lucem, hujusmodi tesseram fidei, quæ nec ad Lutheri accedere sententiam, nec Pontificiis ritibus favere per omnia videbatur: sed Apostolicæ & antiquæ illius fidei eximiam quandam speciem præ se ferebat. Solent Principes, cum aliquid culpæ admittunt, honestatis præferre titulum, & maximum sæpe facinus vel uno pietatis nomine tegere atque tueri. Ita Joannes non turbare, sed emendare saltem sacrum ordinem, & reducere ad probitatem velle simulabat, ipsumque librum Missaticum, ne despiciatui foret, fucato pietatis colore, ut referunt annales, tingebat. Verum cum, inspecta fraude, nec fratri CAROLO, nec Sacerdotum ordini, nec ipsis adeo civibus universis probaretur ille; versa in furorem lenitas est, varieque sævitum in renitentes, sic ut vel ejecti sedibus suis, vel carcere & exilio multati, vel bonis uxorisque privati fuerint, tantumque sustinuerint certe, quod tyrannidis & persecutionis gravissimæ exemplum in omnem posteritatem transmittat. Nunc demum instar naviculæ Ecclesia fluctibus jactata, & si non mersa penitus,
allisa

allisa tamen ad scopulos, & graviter quassata fuit. Namque Gubernator ipse ac Rex, qui ad clayum sedere credebatur, suis se partibus subduxerat, & ad Pontificiorum secesserat castra; Filium quoque Sigismundum, justum regni hæredem iisdem sacris fecerat initiandum. Nunc Svecia durissimis agebatur fatis, &, velut exasperatum procellis mare, tremebat, hostiumque insidiis, ceu collectis nubi- bus, inhorrebat passim, adeo, ut non oculi tantum caligarent omnium, sed mentes ipsæ teterrima qua- dam nocte obducerentur.

Equidem dura hæc erant, Auditores, & aspe- ra perpeffi: Sed, quibus Ecclesiam turbabat Super- stitio, haud multo fuerant leviora. Ea enim est vanæ Superstitionis indoles, ut, cum emendatum Ecclesiæ statum intelligit, repente surgat, & quo- dam simiæ more, omnem Sacrorum cultum æmule- tur. Jam choreas ducit, jam Regis induta habitum in sublimes proreptat sedes, regnumque affectat, &, dum comit omnia & peccit, foeditatem suam vel maxime prodit. Divino quondam instinctu ora- cula edebant sancti interpretes: sed æmula Sacro- rum superstitione fiebat, ut Pagani quoque dæ- monum afflatu, præstigias & ficta quædam oracu- la excitarent. Quæ Mofi, Ebræorum duci viam monstravit columna, & ignis instar præluxit, adeo non peculiare & proprium huic genti mysterium mansit,

mansit, quin id exteræ quoque gentes imitandum
sumserint, quibus in bellum euntibus, non ignis
tantum æternus præcedebat, sed ipsa quædam ignea
columna, ceu Themistoclem & Thrasibulum fe-
cisse accepimus, præferebatur. Vetus Religio jube-
bat cæsa hostia placare Numen, suffituque expia-
re, sed idem cultus apud gentes in superstitionem
abibat, ut non hostiis aliquot balantibus, sed centum
victimis oblatis, Deos propitiari crederent. Ac hujus
quidem persuasionis tanta vis, tantaque potestas
est, ut quavis tyrannide validior sit, nec obscuret
tantum veram Religionem, aut confundat, sed eji-
ciat plane ac paulatim extingvat. Qvi cum Ja-
pheto Patre in Boreales plagas transferat, purissi-
mus haud dubie cultus, invec̃ta post superstitione
contaminatus, & cum Nepotes ejus a cœlesti ver-
bo deficerent, & suum quisque DEUM sibi ex a-
stris & vario animantium genere confingerent, abo-
litus plane atque antiquatus fuit. Quæ ab Anscha-
rio, Svecorum Præcone, reducta est, Religio di-
vina, viguit quidem illa perstititque, sed, cum
variis hominum pollueretur commentis, evanuit
sensim, & tantum non expiravit. Ita cum rebus
humanis comparatum est, secula & homines inter-
eunt, causæ & eventus in orbem recurrunt. Vix
antiquam Ecclesiæ fidem instauraverat GUSTA-
VUS, & Pontificis excusserat jugum, cum e vesti-
gio quoddam superstitionis genus prodiret in me-
dium, nitidius quidem illud ac pulcrius, at noxium
magis,

magis, & quod tacitæ instar luis fortius eneca-
bat. Ducibus enim atque antesignanis, Melchio-
re Ringio, & Knipperdollingio, satellitium quod-
dam Holmiæ confluxerat, quod Ecclesiam nuper
plantatam immane quantum turbabat. Erant ho-
mines ex illo furentium grege, qui Luthero pri-
mum infesti, Thuringiam postea Misniamque, West-
phaliam denique, ac Belgium afflixerant. Nunc
ipsum quoque Septentrionem adibant, & cum ab-
dite laterent initio, vitæque sanctimonia deciperent
incautos, mox ferociores facti, in publica se intru-
debant pulpita, & privatas, quas somniabant, re-
velationes pro divinis venditabant; visi non multo
post discurrere confertim per plateas, annuntiare
fratribus poenitentiam, seque velut missos in orbem
Prophetas, ad convertendum populum, jactare; de-
nique Holmiense templum ingredi, imaginibus &
elegantiori ornatu spoliare, omniaque diripere at-
que vastare. Quæ ut committerentur facinora,
cum GUSTAVI absentia fecit, tum Lutheranorum
fluctuatio & pavor, gaudentibus interim Pontifi-
ciis, de introducta ejusmodi fide, ex qua, ceu radice
non nisi pessimi fructus ederentur. Accidit au-
tem recte credentium coetui, post tot seculorum
tenebras, id fere, quod iis solet, qui intempesta no-
cte iter faciunt, & quamcunque nubeculam luci-
diorem pro luna, fatuos etiam ignes pro lampadi-

D

bus

bus habent, donec accuratiori studio verum ab apparenti, & fucatum distingvere a sincero discant. Jam Augustini ætate ac deinceps, volitare per Ecclesiam visi sunt hujusmodi ignes, & quamplurimos in vias inexplicabiles abducere. Solam enim vitæ integritatem sufficere sibi arbitrati, quicquid salutaris cognitionis & fidei est, ad obedientiam referre, absurdisque nec receptis Scripturæ orationibus loqui, allatrare & carpere veros Evangelii Doctores, & cum indignum conspicerent Sacerdotem, totum culpæ Sacerdotium, denique hujusmodi jactare voces solebant: bene vivere jubemur? jam bene vivimus: quid nobis necessarius est Christus? nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facimus, res alienas non concupiscimus, nullo adulterio contaminamur. Similis fere genius erat, qui cum Germaniæ, tum ipsos quoque Sveciæ invadebat limites, ac primum religionis florem haud leviter infringebat. His itaque rebus tremefactus GUSTAVUS, in eas se coactum angustias videbat, ut, quorsum se vertere, quæ inire consilia, in tanta animorum disensione debeat, propemodum fluctuaret. O illorum temporum vel memoriam ipsam acerbam ac luctuosam! O titubantem infirmorum fidem! quin & o fatum nostri seculi deplorandum! quo redit in scenam hujusmodi superstitio, & turbamenta vulgi movet, nec Ludum, sed tristissimam quandoque, Tragicæ.

Tragoediam spectandam relinquit. Ita proh dolor, angitur Ecclesia, totque opinionibus & sectis dililit, ut, qui imbecillis animi sunt, secum luctentur ipsis, ac omnem propemodum sacrorum curam abjiciant ac detestentur.

Sed TUTA TAMEN nostra est, Auditores, nec ullo vel impetu hostium, vel insipientium motibus hactenus expugnata. Nam uno DEI Verbo, cœlestibusque oraculis innititur. Nullus me incessit metus de extinguenda hac Religione nostra, sive sermone & scripto agant hostes, sive ferro & igne sæviant. Verbum enim tollant, totique terrarum orbi eripiant, & tum demum conclamatum esse de fide nostra putabo. Nunquam mihi suspecta Religionis nostræ veritas fuit, cum non alio fundamento, quam Verbo, & solo quidem Verbo, non illo in tropos converso, non humani ingenii commentis & traditionibus obscurato, non anilibus somniis permixto, sed limpido illo, & sibi relicto, Symbolisque & antiquitatis consensu explicato, unice suffulciatur. Hoc igitur innutritus GUSTAVUS, jam redux in patriam factus, facile judicabat, non cœlo delapsam hanc turbam, sed ab inferis evocatam fuisse. Ut proinde Religionis consisteret integritas, primum examinari homines jussit, atque ad Verbum, ceu Lydium lapidem, explorari, postea cum minime constarent sibi, nulla interje-

cta

Etā mora, regni finibus proſcripſit. Habuit Svecia,
habebitqve, propitio Numine, deinceps maximos
qvosqve Religionis noſtræ Vindicesqve ac Defen-
ſores, qvorum in Eccleſiam merita, qvoad homi-
nes erunt, nulla unqvam oblivio delebit. Multi-
tudo me obruit, qvo minus vel omnes oratione
complecti, vel ſingulos qveam: pictorum proin-
de libertatem mihi ſumam, ut, qvod exprimi angu-
ſta tabula haud poteſt, adumbrem tantum, & ex-
tremis velut lineis deſcribam. CAROLI IX.
venit in mentem, qvi in Sigismundi locum ſuc-
ceſſerat, atqve in ea inciderat tempora, qvibus,
velut ſigno dato, in perniciem ſuam exitiumqve
Svecia conſurgebat. Hujus in compeſcendis tu-
multibus, qvod ſtudium, qvæ ſolicitudo, qvanti
labores non fuere? Quid non tentavit ille, ut in-
gruentem Romani Cleri ſervitutem depelleret cer-
vicibus? quot non appetitus inſidiis, quot non bel-
lis laceſſitus, ut ad deſerendum religionis negoti-
um compelleretur? Sed firmus propoſito CARO-
LUS, & in cauſa fidei minime varius, id tandem
perfecit, ut UPSALIENSIS CONCILII Decre-
to, & tolleretur Liturgia, & Auguſtana Confes-
ſio, qvam Invariantam appellant, unanimi omnium
ſententia firmaretur. Qvod ſi ulla poſt hominum
memoriam, celebrata Synodus eſt, in qua & admi-
rabilis ſe Numinis potentia oſtenderit, &, quantum
unius Principis conſtantia, & ipſa veritatis vis va-
leat, declaratum ſit: in hac certe, ſic patefacta ſunt
omnia,

omnia, ut vix illustrioribus unquam argumentis e-
victa hæc esse putem. Ita quidem humanum in-
genium est, ut, si vel in minimas rerum causas pe-
netret, divinum regimen insuper habeat, nec agno-
scat. At excedit tamen rationem, aut certe fati-
gat, & ad agnoscendam Numinis providentiam
stimulat, si reputetur; promulgata quondam Phi-
losophorum dogmata, quæ saniora videbantur, nec
tamen efficere potuisse, ut vel civitas una, vel vi-
cus, Platonis libris penitus se addixerit: ex ad-
verso illud Lutheranae fidei Compendium, aper-
tum adeo & simplex, ac unicus propemodum Lu-
theri confectum arbitrio, non modo Magni Cæsa-
ris mentem convicisse, Procerumque Imperii ante-
vertisse consilia: sed nunc quoque totius regni su-
perstitionem superasse, atque in Upsaliensi Concilio,
ceterisque Comitibus, invictam stetit. Ecquis vero
credat, tam exiguam, totque ictibus vulneratam
cymbam, pertingere ad portum potuisse, nisi DEUM
ipsum, velut proram habuisset ac puppim, tantum-
que Principem, in turbido mari gubernatorem?

Plura de hoc CAROLO dicturum, monet
quasi & fulgore quodam perstringit gloria GU-
STAVI ADOLPHI Magni; recolite quæso, men-
tibus vestris, Auditores, quam funesta totius Impe-
rii & luctuosa olim species, quantis insidiis appetita
Ecclesia, & in quantum discrimen hæc ipsa patria
E fuerit

fuerit coniecta ; Tum vero hic , tanquam coelo demissus Sospitator , Germaniam cum invicto exercitu intrabat , tantæque malorum undique ingruentium tempestatu occurrere ausus , ceu salutare quoddam fidus , periclitanti affulgebat patriæ , & demersam propemodum Ecclesiæ navem incredibili fortitudine servabat. Felix ille dies , quo cum Electore Saxone , Divo illo JOANNE GEORGIO I. perculsum foedus , & de afferendâ libertate nostra deliberatum fuit. Haud dubito , summum , quod omnia moderatur , Numen tum quidem , cum conclamata omnia , & ad incitos redacta terminos viderentur , se miscuisse rebus ipsorum , atque tam salubria consilia , tamque amicos animos indidisse. Hi duo erant , qui nobis restituebant rem , jam penitus collapsam ; non cunctando , ut ille , sed properando , vincendoque. Nihil adversus eos vis hostilis , ac legionum furores , nihil omnes copiæ valebant : semper cladibus suis majores erant , animosque & opes ab ipso sumebant ferro. Referrunt Annales nostri summam Regis clementiam , quæ Academiam hanc ea tempestate affecit. Cum enim haud procul urbe nostra consideret agmen , ac sæpius rediret , noluit permittere Rex , ut pagi prædiaque nostra vel infestarentur a milite , vel ullis incursionibus vexarentur. Illam enim veræ Religionis Matrem reverenter habendam & a quavis vindicandam injuria esse dixit. Jam

Jam in eo eram, ut CAROLI GUSTAVI memoriam recolerem, quem, omnes norunt, tot reportatis victoriis, tot periculis terra marique superatis, tot insulis, provinciis, ac totis ferme regnis debellatis, asseruisse Rempublicam, Ecclesiam vero quotidianis incrementis locupletasse. Sed legem mihi datam intelligo, ut tandem ad CAROLUM XI. properem, ad illud Christiani orbis Columnen, ac Decus immortale: in quo quid primum demirer, quid altero prædicem loco, de quo quid satis dicam, aut certatim celebrem, haudquaquam reperio. Extollant alii laudes ejus bellicas, quibus in hostium terrorem, & pressorum omnium refugium, jam pridem effloruit. Celebrent pacatam regiminis tempestatem, qua minuere sumptus, augere proventus, munire limites, superflua commutare externis, jungere fœdera, in portu de fluctibus cogitare, atque adversus eos, qui jus in armis gerunt, copias viresque instruere mature laborat: nobis ille Religionis zelus, ille infucatae pietatis ardor, dignus vel unus videtur, qui omni vehatur laude, atque, si possit, in coelum tollatur.

Procul hinc facio adulandi causas, quæ nec in erecti animi virum, nec in Theologum, sine probro ac dedecore cadunt: quin ipsa me facundum reddidit veritas, ut, licet neminem lateat inclyti Regis virtus, iis tamen propius innotescat, qui Religionis &

& literarum causa ex remotissimis terrarum partibus ad nos convolarunt. Principem sane locum obtinet studium implorandi Numinis, adeo certis descriptum legibus, ut non ante matutinis Saluatoribus copiam sui faciat, quam ardentissimas DEO allegarit preces, sequæ ac regnum eidem votis suspiriisque consecrarit. Quod uti rarum hac ætate, quæ corrupti passim mores invalescunt, ita in Rege quanti faciendum sit, Vestræ, Auditores, æquitati judicandum relinquo. His enim rebus perfecit ea, in quibus omnes facile Antecessores olei ac operæ jacturam fecere. Solent Reges sæpe odisse dicta, quæ dici jubent, & quem civibus suis observandum præscribunt cultum, ipsimet negligere & pro ridiculo ac delectamento habere. At nihil horum deprehensum in CAROLO est, qui primum sibi, & tum demum Suis legem præscribit, nec unquam promulgat edictum, nisi quod suismet ante moribus expressit. Ne proinde frigeret sensim Religio, Disciplinam Sacram condidit Religiosissimus Rex, exiguo comprehensam volumine, sed adeo exquisitam & accuratis conceptam verbis; ut nemo, conspecta illa, non possit tranquilla quævis & fortunata huic Regno augurari. Per hanc enim in ipso limine cautum, ne vel novum dogma invehere, vel accitis & inusitatis loquendi formulis Ecclesiam turbare, cuiquam liceat: adeo ad unam illam CONCORDIÆ FORMULAM, ad eosdem Ecclesiæ ritus & consuetudines, omnes totius regni incolæ

adstrin-

adstringuntur. Per hanc nemini integrum, aut pejerando Nomen divinum laceffere, aut per genium suum temere jurare. Hac interdictum omnino est, diem DEO sacratum ludicris fallere negotiis, feriisque laboribus profanare: si quis deliquerit contra, dignissima sprete Numinis poena tenetur. Hæc demum vera ad revocandam pietatem via, hæc illa disciplina est, quæ & suum Ordini divino honorem relinquit, & vitæ perinde ac doctrinæ integritatem conservat. Itaque, cum, Ulstadio impulsore, haud ita pridem tumultuaretur furens quædam multitudo, & stultitia dicam, an arrogantia, fanaticum illud lumen creparet, librosque omnes, præter sacrum volumen, injiceret flammis, & ipsis Aböensium Theologis in concionem prodeuntibus obstreperet: illico Rex ad Scripturam & Ecclesiasticam hanc Regulam revocari turbam, & cum ad fanitatem mentis reduci haud posset, depelli ab urbe, & regionibus suis exterminari iussit. Unum restabat HEROI, ut Lappones converteret, gentem immanitate barbaram, & Dæmonum umbris præstigiisque hæctenus agitatum. Hanc vero non cogi, sed invitari, non circumdatis cancellis rapi, sed erudiri, & crebro efflagitatu convinci voluit, eoque feliciter perduxit, ut nunc, extractis pulcerrimis templis, non Diis amplius, sed DEO TRINUMI laudes dicant, & de accepta veritatis luce sibi

gratulentur. Miramur quidem Reges, qui nationes debellant, urbes capiunt, copias profligant: at longe potior gloria est, quæ ex pacis tempore comparatur. Non enim tum silent divinæ humanæque leges: non cæde & sanguine conspergitur purpura; sed late regnat justitia, conduntur Academiae, Bibliothecæ & cetera literarum instrumenta conquiruntur, artiumque & humanitatis studia provehuntur in culmen. Mæcenatis ad Augustum vox erat: Si pacate imperes, universa terra templum erit, omnes homines tibi statuae. Qui tranquillam adeo & placatum regnum administrat CAROLUS, suo quodam jure hoc aufert elogium, dignusque est, cui statuae & templa æternum dedicentur.

Salve igitur, qui tam admirabili exemplo regnas, Invicte CAROLE, gentis Tuæ Gloria æterna, Terror hostium, ac Lutherani Nominis Præsidium, cælo demissum! Dabis veniam, POTENTISSIME REX, quod, sacro velut thure accensâ, Lutheri Cathedra hunc Tibi strepitum movet, & defixas in Reipublicæ salute, curas Tuas interpellat. Equidem non publica vox, sed eccho tantum fumus; cujus tamen hoc gratiorem fore speramus sonum, quo remotior ille est, tardiusque ad aures Tuas resultat. Dignum profecto Ecclesia nostra, dignum pietate Tua est, quod tantum in terris
Tuis

Tuis tripudium excitasti, quo exteræ quoque regio-
nes & urbes percelluntur ac resonant.

Eqvidem vix resederat ex isto gaudio animus
Tuus, SERENISSIME REX, cum subito per au-
lam ferale incederet iustitium, lugerent & qvereren-
tur Proceres, squaleret vulgus, ac totum adeo Re-
gnum ULRICAM ELEONORAM Tuam, RE-
GINAM Virtuti simillimam, doleret ereptam.
Quam id acerbum ac durum Tibi acciderit, HE-
ROS INCLYTE, & quanta Regiæ Profapiæ Tuæ
illata sit clades, cogitando facilius, quam dicendo
assequimur. Sed mœstitiæ tamen modum quasi
statuit Secularis Festivitas, quæ vel ideo censenda
illustrior, quod luctuosissimo illo Funere nobilita-
ta est; Ipsaque Pientissima REGINA hoc placi-
dus obiit, quod media inter Jubila animam expira-
vit: relicto pulcerrimæ fidei documento, aliud lon-
ge Jubilæum indictum Ecclesiæ esse, quod futuro
illo beatoque Seculo peragendum restet.

Ad Te igitur, POTENTISSIME REX, nostra om-
nium vota properant, lætitiæq; communis magni-
tudinem testantur. Tibi vitam, incolumitatem, Tibi
felix imperium & prosperos rerum successus preca-
mur. Vivas, & perennes, Maxime REX, & in CA-
ROLO, Regni Tui Hærede, Principe Juventutis,
Te ipsum virtutemque & fortunam Tuam lætus in-
tuearis. Omnes id petimus, vovemus omnes. Ipsa
Religio nostra, ceu laceræ imposita tabulæ, jam
turbine impelli, jam fluctibus obrui & jactari, de-
niqve

niqve in extremo constituta discrimine, DEUM
orare, ac vota facere videtur:

Respice me, Tuosqve, æterne DEUS, ac Juva,
nam perimus: Tu custos Israelis es, qvi nec con-
nives aut dormis. Exere brachium tuum forte, &
in auxilium festina. Hinc in nos sæviunt belluæ
maris ac monstra; illinc svaves Sirenum voces au-
diuntur, & serena placidaqve tempestate nobis mi-
nitantur exitium. Serva DEUS, Summos Guber-
natores & Principes, qvi navi præfunt: CARO-
LUM æqve, ac JOANNEM GEORGIUM IV.
Nutricium nostrum Clementissimum, ut Illis, velut
anchors, innitamur; Illorumqve remigio, Tyran-
nidem juxta & Superstitionem evitemus, ac per
omnia navigemus in tuto. Inprimis autem Cyno-
suram nobis perpetuam relinqve, Verbum Tuum,
qvo solo credimus futurum, ut in vado simus,
& æternæ salutis portum con-
sequamur.

D I X I

HT n 6777

1077

no.



QUIPPE QUI
INSIGNEM ET INAUDITAM HANC FE-
LICITATEM ADEPTUS EST,
UT PRIMIS IN GENTE SUA
JUBILANTIA

ET PLACIDISS
VERA ECO

INCONCUS
AD ULTIMOS

ET
ECCLE
REMPU
AMBUSTASQUE
TES E
ET MAXIMI

AC HUM.
FAUSTIS ON
SITATI
GLORIAE

THE.

PESTATE,
YONIA

MMATE
SACRA

AT,
ET,
MANIÆ PAR-

EMPLUM,
UM

ONIBUS
MO
EGIÆ



DEVOTISSIMUS,
JO. GEORG. NEUMANNUS, D.

SACRUM!

